



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Ivrisdictione Ecclesiasticâ, & Iudiciis

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

§. 13. De Irregularitate in genere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61847](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61847)

& alii antea citati. *Sanch. l. 6. Moral. cap. 9. num. 4.*

5. Apud Iurisperitos, & in foro civili incorrigibilis habetur, qui iudici non paret in extremo iurisdictionis, quod est sententia, contumax verò qui non paret in principio, quod est citatio.

6. Qui postquam condemnatus est, iterum fertur ad idem crimen, simile, vel peius, nec facit sui praesentiam iudici. Si autem faciat sui praesentiam, ut iudex eum possit apprehendere, non est incorrigibilis, quia Ecclesia adhuc habet, quod amplius faciat. *c. Cum non ab homine. de iudic. Bern. Diaz. in Pract. c. 142. Aloys. Riccius in decisionibus Curia Archiep. Neapol. decis. 87. parte 1. Aldrete de relig. disciplina l. 2. cap. 26. Silvest. V. Incorrigib. Diaz in pract. c. 142. Ricc. decis. 87. part. 1. Barb. in c. Cum non ab homine de iudiciis.*

Quis denique apud Religiosos incorrigibilis putetur, optimè declarat *Emm. Roderic. Tom. 1. quest. 30. art. 14.* Ille nimirum 1. qui culpas non timet committere, & poenas recusat ferre, vel ex earum saepius repetita inflictione iudicio discretorum cognoscitur non proficere. *Constit. Ord. Pradic. dist. 1. c. 19.*

2. Qui ter fuerit iuridicè convictus, & punitus de eodem crimine gravi, & non fuit correctus.

3. Qui ter fuit convictus, & punitus de aliquibus criminibus gravibus etiam distinctis, & nunquam fuit emendatus. *Ordinat. generales Toletan. c. 6. et. de incorrigibili.*

Ex quibus colligitur, illum, qui tres apostasias commisit, propter quas fuit iuridicè punitus, & nunquam emendatus

à Religione, & Ordine ejici posse. *V. Rod. l. cit. & Suarez tom. IV. de Relig. l. 3. c. 4. n. 11.* ubi monet, quamvis praedicta regula utilis sit, non tamen ita certam esse, quin semper locus sit prudenti iudicio Praetorum, vel amplius expectandi, vel citius expellendi eum.

VI. Denique praetereundum minimè est, quod à plerisque annotatum reperio, licet Degradatio, officiis, beneficiis, & privilegiis Clericorum denudet, eo modo, quo superius explicavimus, non privare tamen caractere Sacramentali, nec impedire, quò minus validè à Degradato exerceantur actus ordinis, quantumcumque eos exercendo peccet. Similiter non tollit obligationes, quae ad characterem sequi solent: ita ut teneatur horas Canonicas recitare, servare castitatem, & similia. *Silv. V. Degradatio q. 2. Reginald. l. 32. c. 23 n. 56.*

§. 73.

De Irregularitate generatim.

Hic finem imponere cogitanti mihi nonnemo aurem vellicans, Ergone, inquit, de irregularitatibus nihil, & cur istud? An quia irregularitas nec censura est, nec poena est, uti ea, de quibus huc usque. Atat Censuram esse censet *Dominicus Soto dist. 22. quest. 3. art. 1. cui adhaeret Corduba l. 5. de Indulg. quest. 43. dub. 4. Bannez 2. 2. quest. 64. art. 8. Arragon. ibid. Medina in Summ. l. 1. §. 9. de Irregul. & apud ipsos Canus, & denique Iosephus Gibellinus cap. 1. de Irregul. pag. 4. Coron. in Summa Diana V. Censura n. 1. fateturque Suarez V. disp. 40. num. 3. de modo loquendi* qua-

quætionem esse. Iam verò pœnis annu-
merari posse, si non per se, saltem per ac-
cidens in quibusdam casibus, omnes ag-
noscent. Rem loqueris, aio, addoque, il-
lius in jure sacro, & foro magnam existerè
necessitatem, & utilitatem. Attexamus
igitur, & in illa desinamus, sed more ha-
ctenus usurpato breviter, & cum delectu.
Igitur hinc ordièdo.

I. Irregularitas est Inhabilitas, seu im-
pedimentum Canonicum per se, directè,
ac primario, impediens susceptionem ordi-
num, & consequenter usum illorum. Dicitur 1. *Impedimentum Canonicum*, ut
excludantur, quæ sunt juris naturalis, &
divini. 2. *per se directè impediens suscepi-
onem ordinum*. denotat effectum illius &
finem. Si cum Navarro addas, *quatenus
ordinis sunt, clarius* apparebit, quomodo
ab Excommunicatione differat. Privat enim
ipsa quoque ordinum acceptione, sed sub
alio respectu, nimirum, quatenus in illis
est communicatio quædam solis fidelibus
debita. Iam suspensio etiam usu Ordinum
privat, similiter alio modo, puta, quatenus
alicui ordini proprius est, ut §. 10. diximus. 3. *primario impediens suscepi-
onem, & consequenter usum illorum*. indi-
cat subordinationem effectuum. Primario enim
Ecclesia intendit removere ab accessu &
acceptione ordinum, & si nihilominus
obteni fuerint, illorum exercitium prohibere.
Dividitur 1. in eam, quæ oritur ex mera
indecentia, & eam, quæ oritur ex culpa
Spurius ex mera indecentia irregularis est,
homicida verò ex culpa. 2. in totalem, &
partialem. Totalis privat susceptionem, &
executionem ordinum: partialis solo usu,
vel in totum, vel ex parte. 3. in perpetuam,
ac temporalem.

Hæc cum tempore desinit, ut contingit
impuberi: illam sola dispensatio tollit. 4.
alia irregularitas est incapacitatis, alia in-
decentiæ, alia culpæ, quæ divisio in prio-
ribus reapse continetur. *V. Gibalin. c. 1.
q. 2.*

II. Omnis irregularitas à Jure Canoni-
co est, nulla ab homine. Ita DD. apud
Vgolinum in *Tract. de irreg. c. 1. §. 1. & Say-
rum l. 6. c. 2. nu. 9.* nec quiquam dissentit,
quia evidenter ex *c. is qui de sent. excom.
in 6.* deducitur. Negat enim istic Ponti-
tex, irregularem fieri illum, qui in ecclesia
pollutâ, vel præsentibus excommunicatis
celebrat, quoniam id nullo jure expres-
sum reperitur. Ex quo sequitur necessariò,
non nisi in casibus iure decisus irregulari-
tatem contrahi. Quod ita intelliges, ut
excipiatur summi Pontificis auctoritas,
qui ipsius juris Canonici pater, & fons est.
*Suar. Disp. 40. Sect. 4. Avila Par. 4. Dub.
1. & 3.*

Aliis verò Prælati, sive episcopi, sive e-
piscopis majores aut minores sint, mini-
mè concessa est potestas, delinquentes ir-
regularitate à se constituta, quasi pœna
castigare, quamvis à *Gabriele in sect. 9. in
Cano.* id scriptum sit, cum totius ecclesiæ
sensus, & Vsus contradicat. Atque hinc
amplius deducitur, nullam irregularita-
tem esse ferendæ sententiæ, ut in Excom-
municatione contingit, sed omnes om-
nino sunt sententiæ lata: ita ut qui ex gr se
spurium esse cognoscit, confestim esse ir-
regularem, fateatur, nulla cuiusquam lu-
dicis sententia definitiva, aut declaratoria
expectata: idque in aliis omnibus etiam
quæ ex delicto pendent observandum.

III. Illud tamen non omnino liquidum
est, an consuetudine aliqua præscripta in-
m m duci

duci irregularitas queat? In utramque partem occurrunt non contemnenda argumenta. Negativam auctoritas Pontificis n. præced. allegata roborat. Nā si consuetudo irregularitatem parit, illatio corruit, irregularem non fieri quenquam ex celebratione in ecclesia polluta, quoniam id iure scripto non continetur. Excipiet enim quilibet, contineri in iure nō scripto, seu consuetudinario. E contra, si prævalere & præscribere contra quamcunq; legem scriptam cōsuetudo potest. quem admodum in *Prolegom. §. 13.* diximus, non video, qua ratione huic soli de irregularitatibus non queat derogare. Nisi forte dicas, (quod etiam ambiguum) ius resistere, quia in vitidi observantia est: & excita. c. *is qui de sent. excom. in 6* satis colligit Ecclesie mentem, ac voluntatem esse, ut nulli o iure non expressa irregularitatis nota unquam agnoscat, aut recipiatur. *Suar. Disp. 40. Sect. 4. num. 13. Layman l. 1. Tr. 3. c. 1. num. 6. Gibalinus c. 7. Confessorio 4.*

IV. Irregularitas ex delicto non contrahitur, nisi per actum externum, consummatum, & qui lethale peccatum sit. Est meliorum iuris interpretum, & probatu facile. Nam quod actum externum attinet, ex supra dictis hoc. *Tit. §. 2.* liquet. Interiora enim, & sensibus impercia quæ sunt, non possunt cognosci, aut iudicari ab homine. Ad consummationem pertinet, ut non desit scientia in agente nec voluntarium, & si quid aliud ad perfectionem actus humani necessarium est: de quo legi potest. *Azor l. 1. c. 2. & seq. Vnde Avila Disp. 2. in 2. Concl. si inquit, volo occidere, & percutio, sed non occido, nec mutilo, non incurro irregularitatem: imò*

licet vulneratus non moriatur per mīraculum. *Soto l. 5. de iust. q. 1. ar. 9. Medina in Summa l. 1. c. 10. §. 10.* Requiritur etiam, ut sit peccatū non veniale, contra quā persuadere voluerint aliqui apud *Avilam, & Gibalinum*, sed mortale. Gravissima enim pœna est, privati usu ordinum, quos actu quis habet, vel impediti, ne ad altiore provehatur. Atque ita de facto nullam reperies irregularitatem, quæ pro levi, aut veniali peccato constituta sit, ita ut tūc inferre liceat. Huic facto irregularitas in pœnam infligitur, ergo lethale peccatum est. Nihil vetat tamen, quin Summus Pontifex, cui soli ea potestas concessa, creditur, pro culpa veniali tantūm decernere, & imponere irregularitatem queat. Quemadmodum pro peccato merè præterito imponere potest. Non enim, ut ad excommunicationem, sic ad irregularitatem contumacia requiritur. Imò nescientia quidem illius, qui delinquit: cum ignorantem quoque suo peccato constitutam esse irregularitatem, nihilominus incurrant. *Avila lo. cit. dub. 4. Az. l. 5. c. 7. q. 4. Silv. v. Pœnan. 13. Armilla num. 1. eod. Em. Sa. n. 15. Diana Par. 4. Traç. Resol. 21.*

V. Non requiritur ad contrahendam irregularitatem, in omnibus delictis, ut manifesta, aut notoria sint, sed in omnibus, quæ non puniuntur ratione enormitatis lææ, & notorietatis, iussit actu externum, & aliquo sensu cognoscibile reperiri. *Covar. in Clem. si furiosus Par. 2. §. 5. Navar. c. 27. n. 239 & 254.* ita certam esse assertionem affirmans, ut opposita sit contra communem ecclesie utum. Constat enim in eiusmodi privatis pœnis nullam rationem publici, & non publici habere.

beri: Et absolute loquitur Canones de irregularitate, non distinguentes inter occultum, & publicum. *Conc. verè Trid. Sess. 14. c. 7.* Simpliciter pronunciat ad sacros ordines promoveri non posse, nec ullum beneficium obtinere, qui per industriam, & insidias occiderit proximum suum, quantumlibet factum occultum sit. *Silv. q. 14. Suar. D. 48. Sess. 1. nu. 17.* Neque obstat illud *c. Christiana. 32. q. 5.* latencia peccata vindictam non habent: quia loquitur non de conscientia, sed foro externo, in quo de occultis nec cognitio, nec sententia, nec punitio fieri potest: adeoque vindictam, seu poenam occulta effugiunt. Nisi enim per iudicem inspiciantur, ad poenam condemnari non possunt. Instas è contra. *In c. Ex tenore de tempor. ordin.* absolute dicitur clericum propter crimè aliàs degradatione dignum quando occultum est, non modo non puniendum, sed etiam, si velit, ulterius promoveri, impediendum non esse. *R. Avila cum Covar.* sermonem istic esse, de crimine, quod quidem depositione dignum sit, non tamen annexam habeat irregularitatem. Verùm hoc est divinare potius, quàm satisfacere. De qualitate criminis nullum in textu indicium est, annexam, vel non annexam habuisse irregularitatem. Quamobrè *Barb. in cit. cap.* supponens irregularitatem, respondet, illam crimine occulto quantumvis magno non contrahi, quod de foro externo bene dicitur. Nā iudici, & episcopo ibidè præcipitur, ut erga clericum criminolium, licet ordinem susceptione indignum esse sciant, ita se gerant, ut erga alios innocentes. Aliàs publicando alterius occultum crimen, & infamando illum indebito modo, graviter peccent. *V. Laym. l. 1. Tr. 5. par. 5. c. 4. n. 9.*

Tanner. 4. D. 6. q. 10. dub. 11. Coninck Disp. 18. d. 7. n. 56. Dian. Par. 4. Tr. 2. Resol. 9.

VI. In dubio an sit contracta Irregularitas, quid faciendum sit, non modica contentio est, orta ex *c. Is qui de sene excom. in 6.* ubi dicitur, non nisi in casibus iure expressis irregularitatem contrahi: & *c. Ad audientiam de homic.* quod tutiorem partem eligi præcipit, iudicando pro animi salute irregularitatem contractam esse. Sic enim a periculo longius recedimus. *Navar. c. 27 nu. 193. cum Panorm. Silv. Corduba & aliis quibusdam* in foro conscientia, eum, de quo dubitatur, iudicandum esse censet irregularem pro animæ tranquillitate: & salute: in foro externo autè, ubi iudex in favorem rei declinare iubetur, *l. Absentes ff. de poenis.* neminè in dubio habendum esse pro irregulari. Verùm aliis resolutio ista minimè videtur cõformis citatis iuribus, ut quæ inter externum, & internum forum nihil distinguant. Supposito igitur, aliud esse dubium iuris, aliud facti, in dubio iuris nullum asserunt nec ab interno, nec ab externo foro irregularem esse quencquã iudicandum: in dubio facti autè in utroq; foro irregularem censeri. Quæ opinio, si *Avila* credimus, iuniorum communis est. Prima pars probatur *ex c. is qui, quod* loquitur de dubio iuris. Secunda *ex c. Ad audientiam. & c. significasti.* in quibus de dubio facti sermo est. Rationem addit *Gibalinus pag. 19.* Quãdo ius certum est, factum verò dubium potiorè esse iuris conditionem, adeoque pro ipso contra delinquentem iudicandum esse. *Bardus Discept. 6. §. 2.* neque in dubio iuris, neq; in dubio facti quemquã vult pro irregulari haberi, sed excipit homicidium propter *c. Ad audientiam.* ita tamè ut homicida non sit obnoxius poenis aliis, præter

inhabilitatem ad suscipiendos ordines, & exercitium eorundem.

Alia distinctione *Toletus utitur l. 1. c. 57. nu. 13. quam Ferdinandus p. 442. optimam vocat. In dubio facti vel agitur periculum animæ, vel non. Si illud, censendus est delinquens irregularis, si hoc, absolvendus est. Quod in materia Sacramentorum & beneficiorum manifestè apparet. Dubium occurrit, an Titius irregularis sit, ut beneficium vel officium retinere queat, non esse dicemus, ne pro dubia culpa certam pœnam subeat. Item dubitatur, an irregularitatem contraxerit, ex qua non possit Sacramenta administrare: hic periculum animæ agitur, si absolvas ab irregularitate: contrarium igitur definiens, nimirum irregularem esse; ut evitetur periculum, quod in usu Sacramentorum imminet. *V. Tolet. l. cit. Valent. q. Disp. 7. q. 19. Pun. 2. §. Tertio. Sanch. l. 1. in Decal. c. 10. Suar. Disp. 40. Sect. 5. & al. apud Bardum p. 558.**

VII. In dubio de qualitate & extensione Irregularitatis, omnes, an unam, vel aliquas tantùm actiones auferat, consideranda diligenter est causa, propter quàm, seu defectus: qui quando non nisi unius, vel aliquorum ordinum executionem impedit, minimè existimandum est, cæterorum quoque usum prohibere, sed irregularitatem partialem esse. *Exempli causa,* Privatus oculo Canonis, aut digito ad celebrandum necessario aliquis non idèò inhabilis est etiam ad audiendum confessiones, ad prædicandum, aliæque munia, quæ absque oculi, & digiti amissi opera perfici solent. At quando defectus non magis huius, quàm illius ordinis facultati obstat, sed absolutam quandam inhabili-

tatem seu indecentiam continet, cuiusmodi est, horribilis aliquis morbus, tunc irregularitas absoluta, & totalis nascetur respectu omnium ordinum, & actionum, quoniam non esset ratio unum præ alio assignandi. De qua re in §. seq. latius.

VIII. Nulla irregularitas etiam totalis privat iurisdictione ecclesiastica, aut seculari, neque beneficiis obtentis. De iurisdictione patet, quia inter illam, & sacros ordines, quibus Irregularitas privat hominem, non est necessaria connexio: & si quandoque ordinem iurisdictionis præsequatur, ut in foro conscientie contingit, accidentarium est, adeoque sine interuentu ordinis exerceri potest. Episcopus, exempli causa, licet irregularis, excommunicat, absoluit, aliæque externæ iurisdictionis munera peragit, quæ sine exercitio ordinis fiunt. Item potest concedere Indulgentias, dispensare in votis, dare facultatem audiendi confessiones, aliæque his similia licitè, & validè præstat. *Villalobos Tract. 21. Diffic. 2. Avila Disp. 2. Dub. 6. contr. 7. Suar. Disp. 40. Sect. 2. nu. 12. 24. & 44. Gibalinus c. 7. Par. 2. pag. 28. Laym. l. 1. tr. 5. par. 5. c. 1. nu. 2.* Non private Irregularitatem beneficiis obtentis ex *c. Postulasti. de clerico excomm.* colligimus. Nam *Innoc. III.* ad quæstionem, quomodo puniendi sint clerici, & monachi, qui post latam interdicti sententiam, in locis interdicto suppositis, divina officia celebrarunt, responderet, beneficiis suis privandos clericos esse, monachos verò ad pœnitentiam agenda arctioribus monasteriis includendos. Si privandi beneficiis sunt, sequitur ipso facto per irregularitatem non privati, sed beneficia sua iuste retinere. *V. Barb. in c. cit. & c. ad audiendam.*

nam de homic. voluntario. Vallens. l. 1. de benef. tit. 20. nu. 7. Finc sequitur, irregularitatem fructibus beneficiorum suorum libere sui posse, modò per se, vel alium subeat annexa beneficii onera. Nihil enim aliud in iure constitutum est. *Navar. c. 27. nu. 249. Henric. l. 14. c. 3. Sayrus l. 2. c. 2. nu. 24. Avila Disp. 2. Dub. 6. Covar. in Clem. si furiosus. Par. 2. §. 3. n. 5. & in c. Alma mater. t. par. §. 7. n. 1. Suarez. V. Disp. 40. Sect. 2. nu. 15. Em. Sa. V. Irregularitas n. 4. Zerela Par. 2. cod. n. 4. Gibalinus c. 2. par. 3. pag. 30.*

NOTA. Beneficium, cui per alium satisfieri non potest, vel sponte dimittere, vel eo privari debet irregularis. *Glo. in c. Scudat. dist. 50. Laym. l. cit.*

IX. De collatione novi beneficii facta irregulari. Sitne ipso iure nulla, & invalida, variant Doctorum sententiæ. Affirmativa communior est apud *Sayrum l. 6. c. 2. & Garz. Par. 2. c. 11.* etiam teste *Giballino*, qui nihilominus oppositam tuerit. Quod convincat, non invenio, & quod securus est, teneo invalidam esse. Irregularitatis enim, si bene attendis, ingenium est, non favere homini ad novi iuris consecutionem, sed potius iam obtentis exuere, aut saltem ab illorum usu deurbare. Et quis credat, ullum patronum, aut beneficii collatorem inter tot ambientis illum præferre, & beneficio ornare, qui propter defectum aliquem aut culpam indignus reputatur, qui in aliquo ordine Ecclesiæ deserviat. *V. Bonac. Tom. 1. pag. 561. Suar. D. 40. §. 2. nu. 29. Layman l. 1. Tr. 3. Par. 5. c. 1. nu. 3. Vallens. l. cit. n. 1. Barb. in c. is cui. de excom. Sayrum l. 5. c. 14. n. 9.*

X. Solus pontifex in irregularitatibus dispensat iure ordinario: episcopi verò, aliique Prælati non nisi quantum jus per-

mittit, & ex commissione, seu delegacione. Nam Ecclesiæ bonum regimen non permittit, ut in legibus iure communi præfixis immutandis aliquam sibi potestatem arrogent, qui inferiores sunt illò, quem ut supremum pastorem DEUS posuit super familiam suam. Unde *Co. Tr.* speciali quadam concessione permisit episcopis dispensare in omni irregularitate proveniente ex quocunque delicto occulto, & non deducto in forum contentiosum excepto homicidio. Quæ concessio supponit, episcopos vi potestis ordinariæ suæ id non posse. Porò licet Pontifex illimitatam potestatem dispensandi habeat, ea tamen in quibusdam casibus vel nunquam, vel rarissimè utitur. Bigamiæ verè exempli causa, tam difficilis semper habita dispensatio est, ut *Lucius III. c. 2. de bigamis* dicat, non licere contra Apostolum in ea dispensare: idem què de bigamia similitudinaria *Innoc. III. dixit in c. Nuper eod. tr.* quia nimirum gravissimæ causæ requiruntur, quibus ea indulgentia impetretur. Similiter irregularitas ex homicidio voluntario non nisi magna occurrente necessitate, & maioris boni spe oblata tollitur: maximè si omninò notorium & omnibus quasi manifestum sit factum. Fieri nihilominus potest, ubi circumstantiæ id exigere videntur. *Innoc. in c. nisi. de renunc. Covar. in Clem. si furiosus. Laym. l. cit. Gibalinus. p. 425. Silv. V. Irregul. cir. fin.* ubi formam quoque dispensandi tradit, addens, ne quidem verbis opus esse, si episcopus alicui irregulari ordines conferat, cum intentione illum

liberandi ab irregularitate.